

SCRIPTA

Numéro Scripta : 7137

Auteur(s) : Henri II Plantagenêt, Angleterre (roi)

Genre d'acte : notice

Authenticité : non suspect

Datation : 1172, 27 septembre

Lieu d'émission : Avranches

Action juridique : fondation

Langue du texte : latin

Analyse

Procès-verbal de l'assemblée d'Avranches, où Henri II fit amende honorable pour le meurtre de Thomas, archevêque de Cantorbéry, en apposant son sceau au bas de l'acte notifiant les conditions auxquelles il s'était soumis.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Stubbs William, *Gesta regis Henrici Secundi Benedicti abbatis*, the chronicle of the reigns of Henry II. and Richard I. A.D. 1169-1192, known commonly under the name of Benedict of Peterborough, Londres, Longmans, Green, Reader, and Dyer (*Rerum Britannicarum Medii Aevi Scriptores, or, Chronicles and Memorials of Great Britain and Ireland during the Middle Ages* ; 49), 1867, 2 vol., t. 1, p. 31-33.
- b. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (*Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France*), 1916-1927, 3 vol., n° CCCCLIII, t. 1, p. 585-587.

Dissertation critique

Mercredi 27 septembre 1172.

Texte établi d'après b

Interim rex rediit de Britannia, et circa festum Sancti Matthæi apostoli venit in Normanniam ad Abbrincam civitatem, et invenit ibi prænominatos cardinales, et Vto kalendas Octobris, feria quarta, festo scilicet Sanctorum Cosmæ et Damiani martyrum, satisfactionem fecit Deo et summo pontifici de morte beati Thomæ Cantuariensis martyris. Purgavit enim innocentiam suam coram prædictis cardinalibus et archiepiscopo Rothomagensi, et episcopis, et clero et populo regni sui apud Abrincas in ecclesia Sancti Andreae apostoli. Juravit etiam coram prænominatis viris ecclesiasticis, tactis sacrosanctis ewangeliis, quod non præcepit nec voluit quod archiepiscopus Cantuariensis occideretur, et quando audivit vehementer inde doluit. Sed quia malefactores illos qui sanctæ memoriæ Thomam Cantuariensem archiepiscopum occiderunt habere non poterat, et quia timebat ipsos illud profanum opus impetrasse (sic) causa animi motus et turbationis quam in eo viderant, de satisfactione tale præstitit sacramentum. Juravit etiam inprimis quod ab Alexandro summo pontifice et ab catholicis successoribus non recederet, quamdiu ipsum sicut regem catholicum habuerint. Juravit etiam quod neque appellationes impediret, neque impediri permetteret, quin libere fierent in regno suo ad Romanum pontificem in ecclesiasticis causis, sic tamen, ut si ei suspecti fuerint aliqui, securitatem faciant quod malum suum vel regni sui non quærant. Juravit etiam quod ab instante Nativitate Domini usque in triennium crucem acciperet, in proxima sequenti æstate in

propria persona Jerosolimam iturus, nisi remanserit per Alexandrum summum pontificem vel per catholicos successores ejus. Sed si interim pro urgente necessitate in Hispaniam super Saracenos profectus fuisset, quantum temporis in illo itinere consummaret, tantumdem Jerosolimitanæ spatium profectionis posset prolongare. Præterea juravit quod interim tantum pecuniæ daret Templariis, quantum ad arbitrium fratrum Templi posset sufficere ad retinendum ducentos milites ad defensionem Jerosolimitanæ terræ per spatium unius anni. Præterea perdonavit iram et malevolentiam suam omnibus, tam clericis quam laicis, qui pro sancto Thoma erant in exilio, et concessit eis libere et in pace ad propria redire. Juravit etiam quod possessiones Cantuariensis ecclesiæ, si quæ ablatae erant, in integrum restitueret, sicut habuit uno anno antequam prædictus archiepiscopus ab Anglia egrederetur. Juravit etiam quod consuetudines, quæ inductæ sunt contra ecclesias terræ suæ in tempore suo, penitus dimitteret. Et hæc omnia juravit se fore observaturum bona fide, absque malo ingenio. Fecit etiam Henricum regem filium suum majorem hæc omnia capitula jurare tenenda, præter illa quæ propriam ejus personam contingebant. Et ut hoc in memoria Romanæ ecclesiæ haberetur, ipse rex præcepit sigillum suum cum sigillis illorum cardinalium apponi scripto illi, in quo hæc capitula continebantur.